



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Corona Avrea S<sup>v</sup>pere Mithram Romani Pontificis**

**Raynaud, Théophile**

**Romae, 1647**

Innocentio X. Pontifici Maximo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10481**



# INNOCENTIO X. PONTIFICI MAXIMO.



ORONAS Aureas, ho-  
noris ac reuerentiæ pignora,  
PATER BEATISSIME,  
Decessorum tuorum vesti-  
gijs aduoluerunt magna om-  
nino inter mortales nomina , Henricus ,  
Clodouæus, Stephanus, Demetrius, Hil-  
dephonsus, Spicionentus, alij præterea ho-  
minum apices, quibus religiosus animus  
id officij persuasit, vt consociatæ in Chri-  
sti Vicario Regiæ ac Sacerdotali maie-  
stati , deferendo eo perantiquo Sacerdo-

\* 2 tij

tij ac regni symbolo , attestarentur : suæ-  
que simul obseruantiae erga culmen istud  
Pontificiæ sublimitatis , argumentum ,  
ederent , præcipuo authoritatis suæ insi-  
gni , ad pedes eius demissè abiecto , cui  
suas in terris vices , supremus omnium ar-  
biter Christus , dum voluerentur secula ,  
staretque orbis , concreditas voluit . Fe-  
cere illi non religiosè tantùm , sed & ma-  
gnifice , ac Christianis Regibus dignè .

A V S I M tamen hominum postre-  
missimus , nec tenuis tantùm census , sed  
etiam consors auspicis illius Religionis  
nostræ , quem vel obolus ad quantulam-  
cunque mendicabuli stipem defecit , pro-  
mere de Cemeliarchio , meo dicam , an  
publico Ecclesiæ ? imponendam vene-  
randissimo huic vertici auream coro-  
nam , omnibus illis pretiosis oneribus Re-  
giorum munerum , gemmatis agalmatis  
grauium , luctuentiorem . Nihil terrena  
illa humanæ magnificentiæ ostenta , ad  
auream coronam quam exhibeo . Illæ  
ter-

terra fulua erant, pœnali ergastulorum  
labore eruta; vt multum, maris pomis,  
ac exemptitijs è piscium cerebro lapido-  
sitatisbus, prægrauata. Hæc cœlesti stru-  
cta metallo, artifice Spiritu sancto con-  
cinnata, bullis radiantibus per Sanctos  
Dei homines aggestis diues, supra nostra-  
tia quæuis pretia, æstimatione attollitur.  
Nec si numero certandum sit, conceden-  
dum de coronarum multitudine putem  
Ptolomæo ac Berenici, quos ludis publi-  
cis, donatos coronarum aurearum qua-  
dragena, super aureis curribus præ pon-  
dere aduecta, proditum est; Vel Antio-  
cho Epiphani, qui vt Paulum Consulem  
Romanum superaret, coronas aureas, vl-  
tra quater millenas, in pompa produ-  
xit; Aut L. Syllæ, in cuius funebri pom-  
pa, suspicere, non etiam æstimare fas fuit,  
aurearum coronarum struices, dona ciui-  
tatum, & amicorum, quorum ne dici qui-  
dem luxus poterat. Ne sic quidem, in-  
sanæ vanissimorum hominum luxuriæ,

adiu-

adiudicari sive victoriam; qui tametsi  
eo specimine, quod exhibeo, de corona-  
rum numero concedere videri possim;  
at si cœlestes fodinas scruter penitus, &  
diuitem hanc glebam industrius fossio-  
nis artifex indagem, etiam superabo. Ita-  
que tametsi quod ex me est, qui nonnullam  
duntaxat, proferendi in apertum has  
opes curam adhibui, munus possit leui-  
dense ac tenuitati meæ admensum vide-  
ri; at penes dignitatem à materia, & op-  
ficio, ac copia, micat insigniter.

CVR tibi, BEATISSIME PA-  
TER, hoc qualemque est mei erga  
Sedem Apostolicam studij argumentum,  
humillimè delatum voluerim, ea nomi-  
natim causa permouit, quod tuæ sunt  
omnes diuiniæ quas produco, tua vniuer-  
sa hæc gloria quam in factis tuis splendi-  
dissimè micantem gratulamur. At tri-  
buendum esse cuique suum, omnia iura  
clamat. Et sicut nefariè, Allophyli re-  
belles lumini, connisi sunt, sua decora-  
& col-

& collatos à Christo ipso titulos , huic  
Sanctæ Sedi subducere; ita genuinos Ec-  
clesiæ filios , par est , sub eiusdem auspi-  
cijs , studium omne in eis firmans illu-  
strandisque collocare. Feci id ego pro vi-  
ribus hac tractatione,in quam ut fontem  
bonitatis tuæ quo negotia Dei rigare so-  
les, corriuari annuas, demississimè postu-  
lo.

SANCTITATIS TVAE.,

Deuotissimus,

*Theophilus Raynaudus ex Societate Iesu.*

C. A.